

seu magistros ac doctores illius facultatis vel scientie in qua examinatio fuerit facienda, episcopo Merseburgensi existenti pro tempore debeant praesentari, qui quidem episcopus promovendos huiusmodi ad magisterii seu doctoratus honorem iuxta modum et consuetudinem, qui super talibus in aliis generalibus studiis observantur, gratis, pure et libere et  
 5 sincere, omni dolo, fraude, livore et difficultate cessantibus, examinare studeat diligenter, et si eos ad gradus ad quos assequi desiderant in scientiis et facultatibus ipsis sufficientes dignos et idoneos esse reperiatur, super quibus eius conscientiam oneramus, ipsis presentatis licentiam huiusmodi in studio opidi memorati recipiendi concedat liberam facultatem, ita etiam quod illi qui per eundem episcopum sufficientes approbati fuerint ac docendi licentiam et honorem huiusmodi obtinuerint, ab eodem ut est dictum extunc absque alio  
 10 examine et approbatione alia legendi et docendi tam in dicto opido quam in singulis aliis generalibus studiis in quibus voluerint legere et docere, statutis et consuetudinibus quibuscunque contrariis, iuramento, nec non apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis nequaquam obstantibus, plenam et liberam habeant potestatem. Et insuper dictum episcopum Merseburgensem existentem pro tempore huiusmodi studii cancellarium auctoritate  
 15 prefata constituiimus et etiam deputamus, volentes quod omnibus privilegiis, potestatibus et facultatibus uti et illas exercere libere et licite valeat pro bono et felici statu dicti studii et suorum membrorum, nec non legentium et studentium in eodem opido in scientiis et facultatibus ipsis pro tempore ac in illos et in illa, quibus alii cancellarii aliorum generalium  
 20 studiorum ex privilegiis apostolicis gaudent et quomodolibet potiuntur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre statuti, ordinationis, concessionis, constitutionis, deputationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursum. Datum Pisis v. idus septembris pontificatus  
 25 nostri anno primo.

## 2.

*Friedrich und Wilhelm, Landgrafen von Thüringen und Markgrafen von Meißen, beleihen die Universität mit politischen Rechten und Einrichtungen.* Leipzig, 1409 Dec. 2.

Hdschr.: Copiale magnum T. I, fol. 8—9.

30 Gebr.: Lehms, histor. Beschreibung der weltberühmten Universität Leipzig 19—25. — *Miscellanea Saxon.* 1776, 265. — Horn, *Leben Friedrich des Streitbaren* 751. — Zarncke, *Statutenbücher der Universität* 3—5.

Ann.: Vergl. hierzu Gersdorf, *die Universität Leipzig im ersten Jahre ihres Bestehens* 13. Derselbe: *Beitrag zur Geschichte der Universität Leipzig* 11. — Zarncke, *urkundliche Quellen* 522. 540. —

In nomine domini amen. Ad honorem omnipotentis dei glorioseque virginis  
 35 Marie ac totius celestis curie nec non ad utilitatem sancte matris ecclesie atque pro salute animarum nostrarum et progenitorum nostrorum subditorumque nostrorum et circumvicinarum terrarum et gentium que procul sunt ob profectum nos Fridericus senior et Wilhelmus fratres germani, divina favente clementia Thuringie landtgravii